

807

quam ipsa, obtinet. Atq; hujus appetitus ac voluntatis objectum tam late se extendit, quam scientia, quod etiam in descriptione innuimus, quocirca ita loquitur Suarez disp. 30 p. 16. d. 15. sicut intellectus Dei non solum in ipso, sed etiam in rebus alijs versatur, quatenus alia etiam ratione objecti intelligibilis participare aut induere possunt: ita & voluntas non solum potest veke Deum ipsum, sed etiam alia, quatenus rationem objecti diligibilis participare possunt,

XIII.

PRIMARIUM enim OBJECTUM VOLUNTATIS DIVINÆ IPSE DEVS EST, cui objecto necessario & naturaliter illa voluntas per amorem conjungitur, à quo amore Deus nec voluntariè cessat, in eoq; perfectio ac felicitas sua consistit, tum quia maximè proprium & proportionatum sibi objectum est, & sicut Deus necessario est non ex causa, sed formaliter, & ex se, ita hic amor eodem modo est necessarius, quia & essentialiter Deus est, & ipsa Dei essentia, adeoq; necessarius non modo quoad specificationem, sed & quoad exercitium. Præterea verò quia omne bonum est communicativum sui, habet Deus naturalem propensionem ad sui bonitatem communicandam, non quod ipsi aliquam commoditatem aut perfectionem afferat, sed quia propensionem seu inclinationem bonitatis ejus consentanea est: propterea Deus etiam vult res omnes extra suam essentiam positas, & res præsertim existentes, quia habent suum esse ex voluntate Dei, ut inferius declarabitur. Ergo etiam Deus vult illas ut habentes tale esse, proptereaq; dicitur terminari ad illas in seipsis, id est secundum proprium esse earum, quæ tamen omnes bonitatem suam ab ipso accipiunt, ob quam etiam Deus illas vult propter seipsum, & propter bonitatem suam, tanquam in fine ultimo. Quæcumq; verò à Bonitate hæc deflectunt, Deus non vult, sed potius ipsi displicent & odio habet, dumq; fiunt, neq; ipso volente, neq; nolente fiunt quia nihil possit ipsius voluntati resistere, sed non volente, dum permittit ista, & ad bonum finem se it dirigere.

XIV.

Ac propterea DEVS quoq; JUSTVS dicitur, qui non modo iusta unicuiq; tribuat, sed etiã qui justis operib9 delectetur, iniusta v.

B 4

puni;